

uis litibus ansam subministrare, quas in herbis suppri-
mi & tolli, vel saltim diminui, aut, quanto fieri po-
test, breuiiores facere, publice quam maxime inter-
est & ad ius dicentis officium pertinet. Sed, ne
sub specie aequitatis & studii deminuendarum litium,
vago & incerto prorsus arbitrio iudicis locum relin-
quere velle videar, ita distinguendum esse puto, vtrum
scilicet actor adsit, qui iudicis officium implorat, nec
ne? posteriori casu, ingenitae hominum libertati mi-
nime omnium congruit, iudicis potestatem in causis
ciuilibus priuatis eo vsque porrigere velle, vt vel in-
uitum ad agendum compellat, vel antequam actor ad-
sit, de causa cognoscat & iudicet, licet maxime haec
aliunde ad eius notitiam peruenerit. Priore vero ca-
su remotissimum a iustitia & officio iudicis est, si agere
volenti, cui arbitrium suum pro omnibus causis suffi-
cit, actionem, quam instituere & in iudicium dedu-
cere debeat, praescribere velit. Quamobrem, certo
actionis genere ab actore *nominatim* expresso & in iu-
dicium deducto, vel ab *initio* statim ad *aequi bonique*
praecepta, secundum ea, quae ab actore in facti specie
narrantur, an actio nominata competens & iusta sit, nec
ne? perpendere, eamque, si iniustam esse, vel non com-
petere praeuiderit, ex officio reiicere debet, ne, ea ad-
missa, & re in ambiguum discrimen deducta, sua mora
efficiat, vt actorem, qui confestim inde, quo adgre-
di cupiebat, propellendus fuisset, post multas demum
ambages & inanes deductiones, repellere necesse fit,
vel vnice super ea actione, quam semel ad iudicalem
disceptationem admisit, secundum acta & probata co-
gnoscat ac iudicet, quoniam *aequi bonique* ratio &
officii iudicis natura non patitur, vt iudex de alia cau-
sa